

vente Pontifice illo, qui dictos cardinales creavit, tum integraliter spectant ad cubicularios pontificis præmortui. Sic D. Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. II, tit. 2, n. 57, testans ita conciliari doctores, qui videntur in hoc inter se contrarii, adducitque pro se Pitonium, tom. II, discept. 51, per tot.; et emin. cardin. Petram, tom. IV *Comment. ad constit. 1 Eugenii IV*, n. 23. Vide ipsos, *loc. cit.*, ubi referunt ad rem varios casus.

(2. Xenia et dona excæcant oculos iudicum (*Eccli. xx, 31*).

(3. Unde iudex tenetur abstinere a receptione munerum, tum jure divino, tum jure humano. Vide verb. *JUDEX*, num. 33 et 34.

(4. Iudex contra supradictas prohibitiones accipiens notabilia munera peccat graviter, et tenetur ad restitutionem. Vide *ibid.*, num. 35.

(5. An talis restitutio sit pro foro conscientie facienda ante sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam delicti. Vide *ibid.*, n. 36.

(6. Quantum ad hoc pro certo tenendum est, quod ea, quæ ad redimendam vexationem, aut sententiam injustam, aut aliter involuntarie data sunt, debent a iudice restitui ante omnem sententiam. Vide *ibid.*, num. 37.

(7. Iudices videntur a jure reddi inhabiles ad acquirendum munerum receptorum dominium. Vide *ibid.*, num. 38.

(8. Nec ex consuetudine possunt iudices illa acquirere, et retinere. Vide *ibid.*, n. 39.

(9. Ubi vero jura non reddunt iudices inhabiles ad acquirendum tale dominium, stante consuetudine legitime præscripta, sciente superiore, et non contradicente, possunt iudices sæculares sponte oblata recipere. Vide *ibid.*, num. 40.

(10. Potest tamen iudex recipere a partibus sponte oblata leviora munuscula, pro quibus non est periculum, quod pervertatur, seu corrumpatur ipsius iudicium. Vide *ibid.*, num. 41.

(11. Iudex ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus nihil recipere potest sportularum nomine. Vide *ibid.*, num. 42.

(12. Iudex laicus delegatus potest exigere sportularum nomine etiam quotam pecunie. Vide *ibid.*, num. 43.

(13. Iudex autem laicus ordinarius nequit aliquid recipere sportularum nomine. Vide *ibid.*, num. 44.

(14. Si iudex, sive ordinarius, sive delegatus, sive ecclesiasticus, sive sæcularis non habeat sibi assignatum stipendium, nec congruam sustentationem, poterit pro iudicis sibi commissis exigere sportulas, sive honoraria. Vide *ibid.*, n. 46.

(15. Ubi exstat consuetudo, possunt iudices accipere saccharum, ceram, coccholatham, etc., in diebus natalitiis, vel alio anni tempore, quæ consuetudo viget in urbe Romæ, ut est omnibus notorium, teste D. Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. II, tit. 2, num. 51 et seq., ubi subjungit, quod licet omnia ista munera, sive esculenta, et poculenta, sive saccharum, cera, etc., accipi possint a

iudicibus, ut expresse habetur in constit. Innocent. XII, incip. *Sacerdotalem, et regiam*, § *Porro*, ibi: « Porro xenia solita esculenta, et poculenta, quæ iudicibus, ministris, et officialibus Romanæ curiæ exhiberi consueverunt, minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus: » magis iidem iudices æstimantur, si illa non accipiant, quia litigantes, qui eis unam gallinam dant, illam dant cum intentione, ut habeant ab eis bovem, quodque rustici dicere solent, quod munus intrat per portam iudicis, et diabolus per fenestram. Sic cum pluribus aliis ibi allegatis expresse D. Ursaya, *loc. cit.*

(16. Auditores Rotæ accipientes aliquod munus a notariis ratione officii incurrunt excommunicationem, et tenentur ad restitutionem in duplo erogandam pauperibus. Vide verb. *AUDITORES*, numer. 62.

(17. Imo auditores Rotæ nihil recipere possunt, neque per alium a litigantibus. Vide *ibid.*, num. 63.

(18. Solent tamen ab istis recipi munera quedam solita profestis natalitiis, et Kalendis Augusti. Quæ munuscula solent etiam mitti advocatis, et procuratoribus per litigantes, quæque uti consueta debent honorificari agenti causarum. Vide *ibid.*, num. 64.

(19. Episcopus non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis professionis monialium. Vide verb. *EPISCOPUS*, art. 6, num. 107.

(20. Episcopus et quilibet alius superior ordinarius in his transgressor tenetur ad restitutionem, et si munus excedat summam decem ducatorum, nequit absolvi neque a summo penitentiario, nisi facta prius restitutione. Vide *ibid.*, num. 108. Imo Pignatell., tom. IX, consult. 144, ex variis decretis sacræ cong. Episc. vult, quod episcopus non debeat, nec possit recipere dona, seu munera a suo clero, et ipsum sequitur Ursaya, *loc. cit.*, num. 46. Vide ipsos.

(21. Quoad ea quæ possunt et debent necessario observare regulares circa largitiones munerum, vide verb. *REGULARES*, art. 1, num. 67, ubi ad id afferuntur constitutiones Clementis VIII, et Urbani pariter VIII.

(22. Recipientes munera a regularibus contra præscriptam dictarum constitutionum, quicumque sint sive regulares, sive sæculares, in neutro foro absolvi possunt ante factam restitutionem. Vide *ibid.*, n. 68.

(23. Et si munus excedat summam decem scutorum, neque possunt absolvi a summo penitentiario. Vide *ibid.*, n. 69.

(24. Quoad personas quæ donare possunt, vel non? et in qua quantitate? Vide verb. *DONATIO*, art. 2, per tot.

(25. Munera non sunt recipienda, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus, textu expresso in l. *Solent 6*, § 3, *De officio proconsulis*.

(26. Munera accipere a nemine inhumanum est, passim vilissimum, et omnia avarissimum, textu expresso, in cit. l. *Solent 6*, § 3, ibi: « Nam valde inhumanum est a nemine accipere, sed passim vilissimum est, et omnia avarissimum. »

(27. In muneribus dandis, et accipiendis attendi debent quatuor ista assignata a Glossa in capit. *Etsi*, quæstione 18, verb. *Muneribus, De Simonia*, duobus sequentibus versiculis, ibi:

(28. Muneribus dandis attendas quatuor ista: Qui dans, quisque petens, quæ res, quæ causa petendi. Munera, crede mihi, placent hominesque, deosque: Placatur donis Juppiter ipse datis. (Ovid., apud Ursayam *Miscell. 1 sacr. et prof.*, lit. M, n. 360.)

ZELOTYPIA

Hæc ad rem notanda.

1. Zelotypia est dolor, seu ægritudo animi ex eo proveniens, quod alter potitur eo quod quis concupiscit, vel potitur: Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. III, tit. 3, num. 54. Seu est ægritudo animi ex eo proveniens, quod quis timet, ne alteri adsit, quod cum nemine velit habere commune, Chrysippus secutus a Cyriac., controv. 172, n. 77; Ursaya, *Miscellan. 2 sacro et profan.*, tit. Z, n. 2.

(2. Mulieres facile zelotypiæ morbo laborare solent, et referuntur aliqua exempla ab Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. II, tit. 4, n. 104, et lib. III, n. 4. Vide ibi.

(3. Maritus uxorem non bene conversantem zelotypiæ causa domi ut in carcere retinere potest: cap. *Placuit 10*, caus. 33, q. 2; Guazzin., *Ad defens. reor.*, defens. 5, cap. 7.

ZINGARI, ZINGARÆ.

Lubet sequentia tradere.

(1. Zingari, vel zingaræ, qui vel quæ se jactant divinare bonam, vel malam fortunam, et in dies ab idiotis præsertim, et plebeis passim de sua sorte consuluntur, si admisceant res sacras, et assertive pronuntient cordium secreta, sortilegium committunt, et possunt ab inquisitoribus puniri: Villadiego, in *Politic.*, cap. 5, § 20, num. 30; Diana, tom. V, tract. 10, *De S. offic.*, resolut. 112, per tot.; Nicol., in *Floscul.*, verb. *Inquisitor.*, num. 1; Raynald., tom. I, ad c. *Supplet 5*, n. 496; Pignatell., tom. VIII, consult. 64, num. 43, et alii passim. (2. Secus autem, si non admisceant res sacras, nec assertive pronuntient cordium secreta; Bordon, in *Manual. S. offic.*, sect. 34, num. 68; Ursaya, *Institut. criminal.*, lib. III, tit. 3, num. 44, 45 et 46, et alii. El ratio est, quia eorum prædictiones, et divinationes fere ab omnibus ordinarie cum risu accipiuntur, nec eis præstatur aliqua firma fides, quod observat pariter Carena *De inquisit.*, part. II, tit. 12, n. 164, et alii passim, notantes, quod nemo est tam simplex, ut firmam fidem præstet Ægyptianis, vulgo dictis Zingaribus.

(3. Tam zingari, vel zingaræ, ut supra divinantes, et prædicentes, quam omnes alii ipsos, vel ipsas consulentes peccant mortaliter, si fiat cum firma fide, vel scandale; si vero fiat propter solam curiositatem, vel animo ridendi, ut communiter fieri

(29. Alia ad rem. Vide verb. *DONATIO*, verb. *JUDEX*; verb. *MONIALES*; verb. *REGULARES*; verb. *VOTUM*.

(30. *Victoriam et honorem acquirit, qui dat munera: animam autem aufert accipientium* (*Prov. xxii, 9*).

(31. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* (*Psal. xxv, 10*).

num. 5 et 12, ubi de viro uxorem ob zelotypiam in vinculis detinente; Ursaya, *loco cit.*, lib. IV, tit. 3, n. 23.

(4. Zelotypia magnum est copulæ argumentum; Sealon., *De testament.*, lib. III, cap. ult., sect. 2, n. 30, ubi refert, et sequitur vulgatum illud: « Res est solliciti plena timoris amor; » Ursaya, tom. VII, part. II, disceptat. 22, n. 38; Panimol., decis. 93, annot. 1, num. 16; Rota, in *Senogallien. legatorum 13 Junii 1679*, verb. *Sed etiam, coram Molin.*

(5. Ex zelotypia alterius amoris ortum habere solent amatoria sortilegia: Denet., in *Exam. episcop.*, lib. VI, cap. 34, num. 10 et seqq.; Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. III, tit. 3, num. 53, cum aliis allegatis.

solet, peccant tantum venialiter: Filluc., tract. 24, num. 135; Lupas, pag. 323, difficul. 2; Busebaum, *Medull.* lib. III, tract. 1, dub. 2, n. 10; Sanchez, et alii passim.

(4. Zingari sunt testes idonei ad probandum statum liberum aliorum zingarorum, matrimonium contrahere volentium: sacr. congreg. Conc., in *Fundana visitationis sacerorum Liminum*, 19 Decembr. 1682, lib. XVI *Visitat. sacer. Limin.*, fol. 96; apud Ursayam in *Miscellaneo 1*, litt. Z, num. 2.

(5. Emens rem a zingaribus tenetur illam absque restitutione pretii vero domino restituere: Ursaya, *Instit. criminal.*, lib. II, tit. 8, n. 53; Bertazoni, *Consil. crimin.* 43; Pignatell., tom. VIII, consult. 64, num. 41, et alii: et ratio est, quia emptio, vel est facta scienter, et est nulla, l. *Si in emptione 34*, § 3, ff. *De contrahenda emptio.*; vel ignoranter, et non transfertur rei emptæ dominium in emptorem, l. *Rem alienam 28*, ff. eod., ubi Glossa, et doctores passim. Quinimo ex tali emptione nec oritur usucapiendi conditio, § *Furtiva 2*, institut. *De usucapionib.* (6. Viget enim contra zingaros furti præsumptio, cum ipsi, ut eorum filii facilius furentur, doceant illos, permissum esse ab eorum lege quolibet die certam summam furari, quod scivit in examine ab uno ex eisdem processato de furto: Cosp., *Nel giudice criminal.*, part. III, cap. 46, num. 10, teste Ursaya, *Instit. crimin.*, lib. III, tit. 3,

num. 48, citans Crusium *De indic. delictor.*, part. II, cap. 22, num. 36, et Raynald. tom. III, cap. 26, § 15. (7. Unde ipsi etiam pro minimis furtis, puta gallinarum, puniri debent; De Angel., *De delict.*, part. I, cap. 6, num. 13; Ursaya, *loc. cit.*, lib. II, tit. 8, n. 13; Raynald., *loc. cit.*, n. 3, et alii.

(8. Zingari præsumuntur mali homines: Florell., *in vot. edit. in Perusina falsæ monetæ* 24 Novembr. 1711, § *In oppositum*; Ursaya, *loc. citat.*, num. 53; Raynaldus, *loc. cit.*, num. 2, ubi cum aliis asserit, ipsos semper male agere in locis, ubi sunt, et ex raptu, latrocinii, proditiionibus, deceptionibus turpem quæstum facere. His enim de causis legimus jussos esse a Germania discedere provido edicto Caroli V imperatoris anno 1549, veluti exploratores et proditores Christianorum regnorum missos a Turcis, ut refert. Petr. Gregor. *Syntagm. jur.*, lib. XXXIV, c. 16, in fin.

ZIZANIA.

Hæc porro de hac materia.

(1. Beatam, inquit clarus jurisconsultus Joannes Petrus Benniza in dissertatione *De vera religionis libertate in tritico per zizania non suffocanda vindicata*, beatam non ita semper reipublicam tenere contingit iis, qui τὸ Κόριον exercent, ut ab omnibus subditis sanctissimæ Triadi in illius fidei confessione rite serviat, cujus veritas a primis initiis tot divinitus demonstrata signis, tot martyrum testata sanguine, tot manifestata prodigiis, per orbem universum diffusa, crevit adversis, inclaruit persecutionibus, per hæreses omnibus retro sæculis pressa, nunquam tamen oppressa sur-exit, nec ab ipsis inferorum portis superabitur. Exsurgunt subinde homines novitatis avidi, scientiæ inanis vento turgidi, religione, nisi quam sibi finxere, vacui, ab avita fide devii, miscent turbas, spargunt dogmata, incendunt populos, malum sub cineribus gliscens advertit nemo, aut si adversum fuerit, et ii, quibus illud opprimendi negotium datum, id ipsum mollibus sentiis, aut etiam occultis machinationibus alunt, eo facile excrescit multitudo in sectam cæce ruentium, ut absque discrimine, et convulsione salutis publicæ, id est, absque præsentissimo totam reipublicam perdendi periculo deinceps coerceri haud possit. Hinc præstat, diversitatem religionum tanquam *κακὸν ἐν χείμασι-vois* seu medium servandi totum, princeps toleret, condonet tempori, et e duobus malis minus eligat.

(2. Docet hoc ipse Christus Dominus, *Matth. XIII, 34 seq.*, sub parabola, quam confluentibus turbis in littore maris Galilææ de patrefamilias, cum inimicus homo agro bene culto, et seminato noctu supereminasset lolium, prohibente servis, ne zizania evellerent, ne evellendo zizania, evelleretur simul cum eis et triticum, et ex adverso præcipiente: *Sinite utraque crescere*, id est, zizania, et bonum semen, usque ad

(9. A regno quoque Neapolitano, ubi sine licentia morabantur, ac furtis, et latrociniiis cuncta compleverant, pragmaticis sanctionibus jussi sunt discedere 16 Octobr. 1568, 14 Septembris 1596, et 12 April. 1683, ut refert Pignatell., *loco cit.*, n. 44. Et sic etiam bannitos esse a toto Statu ecclesiastico, Bononiensi, et Neapolitano tradit Raynald., *loc. cit.* (10. Ubi n. 4, refert ab aliquibus vocari descendentes, ac posteros Caini, vagos et extorres propter illius peccatum; (11. et ab aliis dici erroneos, eo quia majores sui Deiparam Mariam, cum ex Judæa propter Herodis persecutionem in Ægyptum fugeret, hospitio excipere recusarunt: quæ tamen falsa esse ostendit. Quamvis, *ibid.*, n. 6, asserat, quod in Turcia hujus gentis mulieribus licitum est ex privilegio publicæ iurpune se prostituere.

messem. Hæc ipsa parabola scio abuti plurimos pseudo-politicos volentes evincere reges, ac principes (qui per patrifamilias vocabulum hic indignantur) posse semper et indistincte permittere, ut diversæ religiones, quarum una vera sit, reliquæ falsæ, simul in eodem territorio, sicut zizania et triticum in eodem agro succrescant. Atque sub hoc scuto, teste Paulo Diacono, lib. XXIV, sese latere tutos, et lectos jam plurimis ante sæculis existimarunt Manicheorum, Pauliniorum, et Attinganorum patroni, cum in prædictos sectarios Michael Balbus imperator pœnam capitalem promulgasset, sentientes, omnes in Christum credentes juxta apostolum, *Joan. III, 15*, salvari posse; et tametsi ab Ecclesia nonnullis opinionibus dissentirent, suæ conscientiam relinquendos esse. Verum si una unica duntaxat fides est, extra quam nemo salvari potest, qua ratione stare poterit, ut, cum tot religionibus una fides læditur, et toto celo ab invicem hi et illi discrepant in substantialibus articulis, in unius tamen fidei confessione dici queant consonantes, et unius Ecclesiæ, a-cujus unitate voluerunt esse separati, membra haberi mereantur? Nam et tanquam infidelis reprobatus est, ille, qui vel in uno dogmate obedientiam Ecclesiæ denegaverit, juxta illud *Jacobi II, 10: Quicumque legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

(3. Proinde princeps lege Dei victurus, in suo territorio orthodoxos, et adversam religionem profitentes æqua lance fovere non potest, tametsi sub hac vulpina pelle sese clandestine insinuent, quasi a religione orthodoxa in nonnullis duntaxat discrepent. Non ita administrare suas provincias debent principes Christiani, ut omnem quoad suos subditos curam religionis abjiciant, tanquam nihil ad se pertinentem, et usurpent illud Donatistarum: *Quid imperatori cum*

Ecclesia? quod tantonere reprehendit S. Augustinus lib. II *Cont. litt. Petilian.*, cap. 92: Omnino interest regnantis, rescribente Theodosio imperatore ad Cyrillum, « ut non solum pacifice, sed et pie subditi vivant. » Idem censuere Theodosius et Honorius ad Marcellinum; « Non aliud, aut belli laboribus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi (N. B.) ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiant. »

(4. Redeo ad parabolam. In ea se offerunt ministri patrifamilias, hoc est reges, et principes, qui Dei vices in terris obeunt, promptos ad evellenda zizania (N. B.) si ea eradicanda esse patrifamilias judicaverit; ita enim ad eum servi: *Domine, nonne bonum semen seminasti? unde ergo habet zizania?* Et postquam responsum retulere: *Inimicus homo hoc fecit*, dixerunt: *Vis, imus, et colligimus ea?* At noluit patrifamilias, ne servi forte colligentes zizania, eradicarent simul cum eis et triticum, ubi bene adverti ad causalem est necesse, quæ est, ne servi, scilicet reges, et principes, dum zizania et lolium, id est falsas sectas radicibus extirpare nituntur, etiam triticum, id est veram religionem affligant, et de medio tollant; ut a contrario, si cesset periculum, si metus iste non subsit, sed omnino de frumentorum certa stabilitate securitas maneat, ex mente patrifamilias zizania sint eradicanda, falsæ religiones eliminandæ, hæretici ad veram fidem compellendi, juxta oraculum Christi: *Compelle intrare.* (*Luc. XIV, 23.*) Præsertim cum infelix lolium præ herbis salubribus soleat pullulare, ex quo periculum oritur, ne triticum a zizaniis, si in eodem agro succrescant, et vera religio a sectis, si in eodem regno tolerentur, sensim suffocentur.

(5. Hoc metuendum esse, quilibet facile intelliget, qui consideraverit, ipsa docente æterna Veritate, *Matth. XVII, 14*: angustam esse portam, et arctam viam, quæ ducit ad vitam, id est veram religionem austeram esse, et carnis sensualitati contrariam, ideoque difficultate maxima hominum animis inseri; spatiosam esse viam, quæ ducit ad perditionem (*Ibid. 13.*) hoc est sectorum dogmata ad speciem plausibilia videri, et plerumque ad libertatem vitæque licentiam carni blandientem, ad quam homines non minus propendent, quam lapis ad lapsum, studiosè esse composita: ideoque nisi potestas aliqua obsistat, avide recipiuntur, et pertinacius retinentur. In ejusmodi igitur casibus obstandum principiis, ut opprimatur gliscens doctrina erronea in scintilla, ne, dum lenitati studetur, mollioribus consultis commune incendium foveatur, et noceatur bonis, dum nocentibus par-citur.

(6. Contra pugnant Christophorus Matthæus Pfaffius in dissertatione theologica *De zizaniis non evellendis*; Joannes Christophorus Balter, in disquisitione *De libertate religionis*, aliique Protestantes. Sed Pfaffium potissimum audiamus: « Quis, inquit, coram Deo hæreseos reus sit, au-

thentice nemo mortalium decidere valet in terris, ubi veritatem quisque se sequi credit, et demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux, et sub judice lis anceps est. Prævidit diversas in sententias de fide ab-turos aliquando Christianos optimus maximus Salvator, et si eradicaturi se invicem dissentientes essent, Ecclesiam in speluncam latronum degeneraturam. » Addit deinde: « Huic malo Christo positurus obicem, legem hanc prohibitivam in Evangelio dedit, reprimeret ut inconsultum male sapientium zelum, ostenderetque esse hoc divinæ majestatis reservatum jus, sententiam authenticam in judicio extremo et dicendi et exsequendi. » Unde concludit: « Si solis angelis messoribus jus eradicandi in extremo judice hæreticos competit, si divinum hoc jus reservatum est, magistratui sane politico in hoc mundo non competit: ergo tolerandi illi, nec evellendi sunt pœnis civilibus, vel capitalibus. »

(7. Respondet his Banniza 1, indirecte, retorquendo: « Certe, quis hæreseos reus sit, authentice decidere nemo valet, ubi veritatem quisque se sequi credit, et demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux, et sub judice lis anceps est. Ergo cuiusvis permittenda quævis: ergo etiam error, superstitio, idololatria, et cætera religionis ludibria vana, atque impia eodem jure toleranda, etiam cum justo metu, ne vera nitor religionis vicinitate sacrilegii contaminetur; ergo eodem modo ab evellendis zizaniis abstrahenda manus, uti ab evellendo tritico etiam cum periculo, ne triticum per zizania suffocetur. Sequela est cunctis apostatis, hæresum architectis, idololatriis, et atheistis favorabilis, adeoque scandalosa, et certo falsa. Ergo et antecedens, unde sequitur. » Item: « Demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux, et sub judice lis anceps est, scilicet quænam sit vera religio: » ergo religio salvifica non est *Civitas supra montem posita*, sed *absconsa*: non est *lucerna supra candelabrum*, sed *sub modio posita.* (*Matth. V, 14, seq.*) Ergo a Christo non est certo determinata semita salutis: ergo de fide, et in fide sumus minime certi: ergo nobis desunt sufficientia media ad salutem, quæ omnia etsi de protestantica D. Pfaffii religione, ubi nullus judex, certitudo nulla, admodum verificentur; tamen ab ipsismet sanioribus Aug., *Conf.*, addictis ut paradoxa rejiciuntur. Et quid posset esse ad indifferentissimum conducibilis?

(8. Directe deinde negando bis suppositum; in primis, quod ad sequendam, vel retinendam religionem judicium humanum sufficiat; nam requiritur divinum, verbo Dei expressum. Deinde, quod lis anceps sit, quænam sit vera, et unice salvifica religio, Christo, ejusque verbo juxta Ecclesiæ infallibilis sensum intellecto, veram fidem, fide divina credibilem, certissime demonstrante. Cumque fatente ipso Pfaffio de ejusmodi zizaniis Christo sermo fuerit, quæ dignovere servi, possunt utique zizania dignosci a tritico, hoc est vera religio a falsis;

qui ergo asserere potuit: certe quis hæreseos reus sit, authentice decidere nemo valet? contradictionis vitio hæc asserta laborant, sed et manifesti erroris. Item ex verbis: « Veritatem quisque se sequi credit, et demonstrationis tam ambigua hic penes plerosque lux est » colligitur D. Pfaffium forte de illo genere hominum esse, qui nulla auctoritate moveantur, qui nihil credunt, nisi quod argumentis invincibilibus verum esse didicerint. At nihil novum nobis ille proponit; jam multo ab hinc tempore ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, hoc loquendi idioma percepimus.

(9. Sed nonne tanta libertas, seu potius licentia credendi a primordio reformationis (ut vocant) in tantam continuo confusionem erupit, ut vereri non immerito, qui uni parti adhærebant, debuerint, processu temporis, tot futuras religiones, quot erant regiones, tot credentium diversa corpora, quot urbes, et familiæ, et pene quot capita? Intervallo enim tam modico Lutheri asseclæ in tot se schismata disciderant, ut nisi modus denique positus esset, totum sic dictæ reformationis mysterium in primo sui exordio dissolutum fuisset.

(10. Qui autem hodie, prout DD. Pfaffio, et Balsero bonum videtur, nulla penitus auctoritate stringuntur, sed prout iudicio humano, et ingenio quisque proprio sibi formam credendi præscripserit, sic credunt, illi in tantam confusionis abyssum feruntur, ut syncretismum induentes, religionem susque deque habeant. Eorum nonnulli pro arbitrio Scripturas sacras interpretantur, aut omnino ex iis expungunt, reformant, vilipendunt, et in nihilum redigunt. Sunt iterum alii, qui deploranda animi cæcitate ipsum adeo baptismi sacramentum non necessarium docent, atque ita, quod hactenus cum tanta religione observatum est tanquam primum Christianitatis fundamentum, ad interitum sui, suorumque, e pectoribus eliminant. Nota loquor, et ea, quæ dudum Protestantium viri cordati, quosque Augustana confessio tenet, e medio tolli magnopere vellent, et ut fiat, magnis viribus allaborarunt. Non ergo me pudet in eorum numero censerî, qui almæ antiquitatis, sanctæ puritatis, sinceræ veritatis, universæque catholico corpori, summisque capitibus se submitunt.

(11. Denique, inquit doctissimus Banniza, pro resolutione objectionis primæ finaliter adhuc addimus, et monemus, haud esse metuendum, quin « Ecclesia in speluncam latronum sit degeneratura, » si ut recte statuit *Tridentinum*, sess. xxiv, viri pietate morum, scientia, et doctrina Evangelii, historiæ ecclesiasticæ, ac conciliorum fide præstantes eligantur, qui a via veritatis aberrantes suaviter reducant telis doctrinæ, pietatis, et sapientiæ; cum pertinacibus intrepide, cum falso zelo illis pie, ac benigne, cum frigidis serio, cum dubiis clare, ac confidenter, cum omnibus discrete, et prudenter tractare studeant, ac norint, et quibus vera sæpius religio calumniose de-

pingitur, falso præconceptas opiniones adimere allaborent.

(12. Ad id vero, quod a Pfaffio additum vidimus, respondet: 1º Idem præclarus jurisconsultus, distinguendo: Christus legem hanc prohibitivam de zizaniis non evellendis in Evangelio dedit, *absolute* nego. *Conditionate* tantum, ne cum zizaniis evellere-tur simul et triticum, atque ut si cesset hoc periculum, zizania sint eradicanda, concedo antecedens. Distinctionis ratio patet ex dietis, num. 4. Respondet 2º indirecte, retorquendo in adversarium, quæ adjecit: « Divinæ majestati reservatum jus est, sententiam authenticam in iudicio extremo et dicendi, et exsequendi; » non tantum in hæreticos, sed etiam in quoscunque scelestos et peccatores; ergo magistratui politico in hoc mundo non competit facinorosis pœnas irrogare capitales, quod vellent Anabaptistæ, Sociniani, et fanatici; neququam Tubingensis cancellarius Pfaffius, si sapit. Deinde, quod probe notandum est: et humanæ majestatis jus est, non quidem religionem quamcunque suæ qualicunque contrariam exterminandi, sed religionem veram defendendi, propagandi, etsi non armis cogendo infideles, attamen armis fideles protegendo, desertores, apostatas, hæresiarchas, tanquam lupos, et reipublicæ perturbatores arcendo, et coercendo.

(13. Urget tamen Pfaffius prohibitionem Salvatoris generalem ex hoc factam capite, quia præviderat ille, fore, ut in dijudicatione tritici et zizaniorum tantopere olim errarent homines, loco zizaniorum, vel cum zizaniis evulsuri triticum. Monet præterea verba textus esse plane emphatica: *Sinite utraque crescere usque ad tempus messis*. Eodem, ait, itaque modo ab evellendis zizaniis abstrahenda manus est, uti ab evellendo tritico: maxime, cum, si violentis modis eradicarentur dissentientes in fide, nullaque ipsis subinde concederetur tolerantia privilegiata, excitarentur bella, ipsos quoque eradicatores interneccioni datura.

(14. Verum frustra hæc omnia; licet etiam prohibitio patrisfamilias: *Nolite colligere zizania*, quoad externam verborum figuram sit generalis, ex mente tamen expressa *ne eradicetis simul cum eis et triticum*, hanc suscipit limitationem, ut si possint zizania absque tritici simul destruendi periculo extirpari, sint eradicanda. Quod autem modo dixi de prohibitione patrisfamilias, eam non esse absolutam, sed conditionatam, *ἀναλογικῶς* quoque ad ejusdem præceptum: *Sinite utraque crescere*, tractatum volo. Ut enim verba textus emphatica sint, ex iis non sequitur eodem modo ab evellendis zizaniis abstrahendam esse manum, uti ab evellendo tritico. Non significant illa verba: *Sinite*, etc., eodem pretio, et loco utraque, hoc est zizania, et bonum semen habere, etc. Equidem non sunt evellenda zizania, si absque periculo eradicandi simul et tritici, evelli non possunt, nimirum, si vel dignosci nequeant, prima enim germina zizaniorum, et tritici similia sunt:

¶ I si discernantur equidem, radicibus autem a tritici mistæ et zizaniorum radices sint, ut unis evulsis evellantur et alteræ. Sed præstabit ipsam Bannizæ dissertationem

consulere a Cl. Antonio Schmidt recusam, tom. III sui *Thesauri juris ecclesiastici*, pag. 464 seqq. Vide etiam, quæ a nobis dicta sunt supra verb. TOLERANTIA RELIGIONIS.

APPENDIX

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA

PRO REBUS NOTATU DIGNIS JUXTA SERIEM VOCUM HUIUS SEPTIMI TOMI DIGESTA

S

SACRAMENTUM

SACRÆ PŒNITENTIARIÆ RESPONSUM.

Beatissime Pater: N. confessarius in Gallis, S. V. humillime consulit, num ipse queat et debeat absolvere illos ecclesiasticos qui se subjicere recusant condemnationi, quam Sancta Sedes edidit, quatuor celeberrimarum propositionum cleri Gallicani.

Ita multæ tollentur questiones, et conscientia quiescent. — Respondit per sacram Pœnitentiariam, ut sequitur: « S. Pœnitentiaria, diligenter perpensa proposita quæstione, respondendum censuit, Declarationem con-

ventas Gallicani anni 1682, ab Apostolica Sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescissa, et nulla atque irrita declarata, nulla tamen theologicæ censuræ notam doctrinæ Declaratione illa contentæ inustam fuisse: propterea nihil obstare, quominus sacramentali absolute donentur sacerdotes illi, qui bona fide, et ex animi sui persuasione doctrinæ illi adhuc adhærent, modo absolute digni aliunde videantur. Datum Romæ, in sacra Pœnitentiaria, die 27 Sept. 1820. Michael cardinalis de Petro, Major Pœnitentiarius. »

SEDES

SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM DECRETUM.

Tolerari non debet consuetudo, sive corruptela, occasione concionum sedere in

gradibus altaris majoris terga vertendo SS. Sacramento, sit, vel non expositum, die 20 Sept. 1806.

SUSPENSIO (158)

T

TABERNACULUM

SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM DECRETUM.

Eliminandos abusus superimponendi sanctorum reliquias, plasque imagines tabernaculo, quo augustissimum Sacramentum asservatur. — S. R. C., die 31 Martii 1821.

(158) Non possunt episcopi inconsulta Sede Apostol. omnibus simul unius conventus confessariis, jam a se, vel a suis antecessoribus approbatis adimere facultatem audiendi confessiones, licet ex rationabili causa aliquos suspendere eis liceat ex Const. *Superna* Clem. X. Si tamen omnes simul suspenderentur, crederem eos interim tuto audire

SACRÆ CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETUM.

Si quandoque privata ex causa SS. Eucharistia exponenda videbitur, tabernaculo nunquam extrahatur; sed pyxis velata

non posse confessiones, cum censuræ etiam nullæ, puta ex defectu jurisdictionis, timendæ sint, saltem in foro externo, propter scandalum, populo non certiorato de earum nullitate. Sic doctissimus Giraldi, *Exposit. jur. Pontific.*, lib. 1 *Decret.*, tit. 51, append. 3, n. 6, pag. 121.